



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

§. 5. Incidenti quæsito fit satis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873

B.
Joannis
à Cruce

Opera
mystica
NVT
124

Incidenti quæ sito fit satis.

29. Tandem, ut cuius obiectioni, aut scrupulo, qui contra hos libros in communi occurrere posset, plene satisfaciamus, placuit vitio adijcere rationem eam, quod aliquis posset inquirere: Cur, scilicet sublimis hic Doctor, sicuti in sua doctrinæ comprobationem, & confirmationem tot Scripturæ testimonia adeo subtiliter, ac subtiliter explicata adducit, sic etiam sanctorum Patrum testimonia non referat? Ex hoc namque occasio tribui videtur ad suspicandum doctrinam hanc non adeo conformem esse eorum doctrinæ, à quorum testimonijs abstinuit.

30. Sed suspensionem hanc vanam, & falsissimam esse ex dicendis in progressu harum observationum satis constabit; in quibus ostendemus IOANNIS nostri doctrinam in sanctorum Patrum Illustrumque Doctorum libris omnino contineri. Unde non ideo ab eorum testimonijs referendis abstinuit, quia ipsis aliquo modo minus consonam esse existimaret, sed propter duo. Tum nimirum quia satis illi visum est, doctrinam suam Scripturæ sacræ (quæ diuinæ sapientiæ Thesaurus est) firmissimis testimonijs frequenter comprobare, & confirmare, ut sic maximam apud homines auctoritatem, & robur obtineret, summamque fidem sibi conciliaret. Tum etiam, quia intendebat doctrinam hanc, quantum fieri posset, breuiter, & sine prolixitate fastidio, atque ad legentium solam vtilitatem, non autem ad propriæ eruditionis ostentationem scribere: & ita, cum ex Scripturæ sacræ testimonijs debitum suæ doctrinæ robur præbuisset, ab alijs testimonijs adiungendis, quibus opus hoc nimirum exsuperaret, nec facile præ manibus haberi posset, & ita eius communis vtilitas impediretur, libenter abstinuit, maxime cum eo ipso, quod demonstrasset eius doctrinam sacræ Scripturæ doctrinæ omnino conformem esse, eo ipso perspicuum remanebat, esse etiam conformem doctrinæ SS. Patrum, quam ipsi ex eodem fonte Scripturæ sacræ depromserunt. Nihil ergo remanet, quod aduersus doctrinam hanc in communi objici possit, ea vero quæ circa propositiones aliquas in particulari occurrunt, in sequentibus discutientur.

CAPVT VI.

*THEOLOGIAM MYSTICAM, SICVTI
Et quamlibet aliam scientiam, vel artem, proprias, ac re-
conditas phrasas, aut locutiones sibi vendicare, quarum
usus minimè ab alijs in tali scientia ineruditis iudican-
dus, aut taxandus, sed illius professorum iudicio (dum
modo de veritate constet) relinquendus est.*

26. QVIA ex vtu phrasum, seu locutionum, quæ in Theologia Mystica speciales, ac propriæ sunt, oritur difficultas plurium propositionum, quæ in his libris
quibus